



8.
45a
DISPUTATIO PHYSICA
De
PHYSICÆ NAT-
TURA ET CONSTITU-
TIONE,

Quam
DUCE DEO,

Sub
PRÆSIDIO
VIRI

CLARISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
DN. M. JOHANNIS Sperlingen/
PHYSICÆ. PROFESSORIS PUBL.
LONGE CELEBERRIMI,

Dn, Præceptoris & Promotoris sui,
Summâ observantia
colendi,

Publicè proponit,
ANDREAS Kühn / DRESDENSIS.

Ad diem 26. Februarij
Horis antemer.



WITTEBERGÆ,
Excudebat JOHANNES HAKE, M DC XLII.

L. M. G.
Amice m.

PHYSICAE
TURBARUM CONSTITUTIONE

PHYSICAE
TURBARUM CONSTITUTIONE
AUCTORIS
D. M. JOHANNIS G. BERLINGERII
PHYSICAE PROFESSORIS PUBL.

PHYSICAE PROFESSORIS PUBL.
D. M. JOHANNIS G. BERLINGERII
Summa observantia
colendi

ANDREAS RUPINUS DRESIDENSIS
Ab hinc 26 Februario
Hic amicus

WITTEBERGAE
Excudebat JOHANNES HAKE, MDCXLII

Handwritten notes:
Joh. G. Berlingerii
Summa observantia
colendi





DISPUTATIO PHYSICA

De

PHYSICÆ NATURA ET CON-
STITUTIONE.

Thef. I.

Nihil in theatro mundano excellentius
homine. Nihil in homine prælustrius animâ. Nihil in
animâ præclarius intellectu. Nihil intellectum nobilitat
æqvè ac discursus. Discurremus ergô & exerceamus nos masculè,
ut ædificemus, & ædificemur. Absit jactantia, absit altercatio.
*Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit. Ursos leo-
nesq; mappa proritat. Omnia, quæ naturâ fera ac rabida sunt, conster-
nuntur ad vana. Idem inquietis & stolidis ingenijs evenit.*

Seneca lib.
3. de Irâ.
c. 30.

II. Physicæ doctrina, aut *Essentialis* aut *Extraessentialis* seu
Proæmialis est. *Essentialis* ob *Physicam*; *Extraessentialis* ob *Phy-
sicum*. Illam absolvunt tria. *Causæ*, *Affectiones*, *Species*. Hanc
duo cumprimis. *Definitio* ac *Divisio*.

III. *Definitio* aut *Nominalis*, aut *Realis* est. *Nominalis* dat
Paronymiam, *Homonymiam*, *Synonymiam*. Hæc in limine primo
præcognoscenda. Omnis enim appetitus è prænotione rei, quæ
appetitur. Juxta illud: *Ignoti nulla cupido*. Scilicet ignoti non
partialiter, sed totaliter; non notitiâ saltem distinctâ sed & con-
fusâ.

IV. *Paronymia*. Descendit *Physica* ἀπὸ τῆς φύσεως, à *Na-
turâ*. *Natura* enim hîc cognoscenda, *Natura* explicanda. Optima
Physicam tradendi ratio est, res indagare, res ponderare, res ex-
plicare. Invaluit quidem, & invalescit quotidiè magis consuetu-
do, quâ non tam res, quàm verba; non tam natura, quàm scripta



Scalig. Ex.
104. l. 6.

volvuntur. Sed ex libris colligere, quæ prodiderint autores, longè est periculosissimum. Rerum ipsarum cognitio vera è rebus ipsis est. Ita perpetuò te geres, tanquam verum quæras adhuc, non scias, & contumaciter quæras.

Titelmann
in Philof.
Nat. Pf.
Nun. p. 6.

V. Si tamen Libro cuiquam te mancipare gestis, manu suâ scriptis absolutissimum Altissimum, Hic legendus, hic diurnâ & nocturnâ manu versandus. Cum hoc conferendi accuratè, de hoc quotquot editi libelli. Consideraverunt librum hunc plurimi, & viderunt, quoniam esset fecundus nimium: & de libro hoc ediderunt libros sine numero. Viderunt, quoniam ad intelligendum esset liber difficilis: sectatoribus suis multiplicatione verborum atq; librorum conati sunt explanare illum. Magi, Sophi, atq; Philosophi innumeri, operam impenderunt in considerandis paginis libri huius: te quoq; (ô DEUS Optime) autore invenerunt non pauca veritatis tuæ, quam descripseras in illo. Veruntamen vanitates multas immiscebant veritati modicæ: erroribus multis ac vanis opinionibus nimium erant permista eorum omnia.

Seneca lib.
1. Ep. 89. p.
m. 746.

VI. Homonymia. Physica vel γενικῶς generaliter, vel εἰδικῶς specialiter sumitur. Generaliter, pro omni disciplinâ Theoreticâ. Quo sensu Seneca: Philosophiæ tres partes esse dixerunt & maximi & plurimi autores: Moralem, Naturalem, & Rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & structuram & argumentationes, ne pro vero falsa surrepant. Et paulò post: Epicurei duas partes Philosophiæ putaverunt esse Naturalem atq; Moralem, Rationalem removerunt. Specialiter pro eâ saltem disciplinâ, quæ præcisè naturalia scrutatur corpora. Metaphysica enim versat ens: Pneumatica spiritum: Mathematica quantum: Sola Physica corpora naturalia ponderat.

VII. Synonymia. Multa hic cum Græca, tum Latina occurrant Synonyma. Græca: φυσιολογία, περὶ φύσεως ἰστορία, φυσικὴ θεωρία, φυσικὴ ἐξέσις, &c. Latina: Naturalis scientia, Naturæ explicatio, Naturæ venatio, Naturæ obscuritas, Naturæ ratio, &c. Quorum Propria alia, alia Tropica, pleraque Logica sunt. Propria, Naturæ scientia, Naturæ explicatio, &c. Tropica, Naturæ venatio, Naturæ obscuritas. Logica, ad differentiam Gramma-

Grammaticorum. Non enim ut gladius & ensis, ut *αιδρωπ* & homo: sic Physica & Naturæ venatio, Physica & Naturæ obscuritas, Synonyma audiunt. Rationabilis enim respectus ibi abest; hic adest.

II X. *Definitio Realis.* Physica est scientia corporis naturalis, quatenus naturale est. Ubi Genus prostat cum Differentiâ.

IX. Genus scientia est. Hæc enim *essentiale*, hæc *latius*, hæc *proximum* est. Quæ tria generis exhauriunt naturam. Dicitur enim genus de pluribus specie differentibus in quid. Essentiale est. Demonstrantur enim in Physicâ affectiones de suis subjectis per proximam & immediatam causam. Quantitas de corpore naturali per materiam. Risibilitas de homine per rationale. Latius. Nam & de Mathematicâ & de Pneumaticâ dicitur. Proximum. Nam propius non occurrit sed quicquid afferas, aut latius, aut spurium genus erit.

X. Differentiam largitur subjectum, quod est corpus naturale, quatenus tale. Hoc enim scientiæ additum Physicam constituit, eamque ab omnibus alijs disciplinis distinguit. Perpetuò proprium ac specificum esse habitus à proprio dependet subjecto. Unde differentiam propriam & specificam aliunde petere fas non est.

XI. Constat verò subjectum hoc Materiali & Formali. Materiale describitur res ipsa entitativè (ut loquuntur) sumpta. Dicitur aliàs Res considerata. Formale, ratio sub quâ & secundum quam res illa consideratur. Dicitur Modus considerandi. Materiale subjecti Physicæ est corpus Naturale, cælum, terram, ignem, aquam, & quicquid vastus complectitur orbis, includens. Formale est, quatenus naturale. Quatenus nempe naturales habet causas, naturalesque affectiones.

XII. Ubi notanda quatuor. *Primum*, Subjectum generale, non speciale: & Materiale non quodvis, sed Primarium hinc attendi. Totius enim scientiæ, non particularis alicujus doctrinæ nunc tradimus subjectum. Aliàs innumera evaderent subjecta, cælum puta, stellæ, elementa, mista, metalla, &c.

Seneca lib.
1. Ep. 88. p.
m. 741.

XIII. Secundum, corpus sumi in modum Totius, non in modum Partis. Non enim materialem saltem contemplatur partem Physicus, sed totum compositum. Totum considerat hominem, non corpus saltem humanum. Non temerè aut curiosè nimis nobilissimam nostram miratur ac rimatur animam. Quà de Seneca scripsit: *Innumerabiles quæstiones sunt de animo: unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit: an aliunde aliò transeat & domicilium mutet, ad alias animalium formas, aliasq; coniectus: an non amplius quàm semel seruiat, & emissus evagetur in toto: utrum corpus sit, an non sit: quid sit facturus, cum per nos aliquid facere deserit: quomodo libertate suâ usurus, cum ex hac effugerit cavea: an obliviscatur priorum, & illic nosse se incipiat, postquam de corpore abductus in sublimem secessit.*

Aristot. lib.
1. Post, A-
nal.

Zabar. lib.
de Tr. Præc.
c. 2. p. m.
500.

XIV. Tertium, Subiectum hîc notari Scientificum. Tale scilicet, circa quod explicandum disciplina occupatur scientificè. Cujus quatuor dantur conditiones. Ut sit præcognitum, tum quod sit, tum quid nomen significet: Ut per se sit ens: ut proprias habeat affectiones & propria principia: ut non aliter consideretur, quàm prout principijs & affectionibus istis substat. Quæ cum clara in corpore naturali sint, nullâ nobis gignunt operam. Est sanè illud præcognitum, & quod sit, & quid nomen velit. Est ens per se, nec à nobis per liberum nostræ voluntatis arbitrium operantibus producitur. Habet proprias affectiones & proprias causas. Habet certum considerandi modum.

XV. Neque nos sollicitet nomen geminum. Quod subiectum exprimat voce corporis & voce naturalis. Hæc enim illa penuria est, hic iste vocabulorum defectus. Penuria vocum cogit quandoque, ut inferius nominetur nomine non uno, quamvis sit unum. Quia scilicet deest nomen inferius istud significans, nominamus ipsum nomine superioris & differentie contrahentis. Non ut volumus, sed ut valemus.

XVI. Quartum, Terminum quatenus hîc Reduplicantem; non Specificantem esse. Propositio enim, corpus naturale, quatenus tale, subiectum Physicæ est, convertibilitatem & immediationem prædicati cum subiecto infert. Non verò nudum saltem notat modum,

modum, sicut cum dico: Petrus, quatenus capillos habet, crispus est: Paulus, quatenus in templo concionatur: Professor, quatenus in cathedrâ disputat. Quemadmodum ergo Metaphysicus versat ens, ut ens: Pnevmaticus spiritum, ut sic: Mathematicus quantum, ut tale; ita Physicus corpus naturale pensulat, ut tale.

XVII. Divisio Physicæ est in Partem Generalem & Specialem. Cum enim scientia sit quodammodo ipsa scibilia, etiam secunda venit ut scibilia. Igitur cum scibile, seu Physicæ subiectum menti sese repræsentet generaliter & specialiter, etiam Physicæ pars alia Generalis seu Communis, alia Specialis seu Propria est.

XVIII. *Generalis* ergo pars est, quæ corpus naturale in genere considerat, ejusque causas & affectiones exhibet. Unde quicquid latitudine caret, huc non quadrat.

XIX. *Specialis* est, quæ corporis naturalis species perpendit, earumque causas & affectiones repræsentat. Ubi tanta Naturæ varietas, ut nullâ hominis linguâ exprimi queat satis.

XX. Utinam verò quemadmodum universi mundi facies in conspectum venit, in Physicâ totâ nobis posset occurrere, simillimum mundo spectaculum! Profectò omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his, quæ nunc magna magnorum ignorantia credimus.

Seneca lib.
1. Epist. 89.

QVÆSTIONES.

I. Quid hinc præstent Interpretes?

Respond. Multa de Philosophiæ nomine, definitione, divisione, inventione, ordine partium, scientiarum subordinatione, certitudine, primitate, utilitate, & dignitate renarrant. Multa de Aristotelis libros Physicos edentis instituto, de istorum librorum inscriptione, divisione, ordine, proportione, & intellectu, proferunt. Multa de cognitione, de demonstratione, de universalibus & singularibus, de nobis & de naturâ notis, ac de farina hujus aliis, scriptitant. Conimbricenses quærun, An contemptrix Philosophia in Metaphysicam, Physicam & Mathematicam

Conimbr.
in Prooem.
lib. Phys.

Aristot.
Quæsti. I. p.
m. 5. sq.

Zabarella
lib. de sc.
nat. Const.
c. 2. p. m. 3.
sq.

Toletus in
Proleg. lib.
Arist. p. I.
sq.

cam rectè dividatur? Ubi pro & contra disputant prolixè, & abstrusâ abstractione Lectorem fatigant. Quærun, sitnè Philosophia Naturalis contemplatrix scientia, an Practica? Sitnè Physiologiae subjectum ens mobile, an non? An perfecta cuiusque rei cognitio omnium causarum intelligentiam deposcat? Quænam sint nobis notiora cognitione distinctâ? Sintnè maximè universalia notiora nobis cognitione confusâ actuali, an non? Sitnè singulare primò cognitum à nostro intellectu, an non? Utrum singulare substantiæ, an accidentis à nobis primò intelligatur? Distingvaturne totum reipsâ à suis partibus simul sumptis, an non? Hactenus Conimbricenses. Zabarella sollicitus cum primis est, de subjecto totius scientiæ naturalis, de Definitione & partitione scientiæ ejusdem, de subjecto librorum Physicæ auscultationis, de divisione librorum Physicæ auscultationis, de primo libro Physicorum & ejus connexu cum secundo, de corpore naturali, an univocum sit, an analogum? De ratione, quâ duo priores libri Physicorum sint de principiis, de sex posterioribus libris Physicæ auscultationis, de sede librorum de Cælo & de eorum subjecto, de subjecto & de loco librorum de generatione & interitu, de subjecto & loco trium librorum Meteorologicorum, de subjecto libri quarti Meteorologicorum, de loco quarti libri Meteorologicorum, de inscriptione hujus libri, de fossilibus & metallis, eorumque tractatione, de libris animalium, de plantis, & earum tractatione. De perfectione scientiæ naturalis, & ejusdem ordine. De his Zabarella, Toletus postquam multa proposuit de Philosophiæ nomine, definitione, partibus, divisione, partium ordine, ortu Philosophiæ, ejus inventoribus, utilitate & dignitate, &c. Quærit, an rerum naturalium sit scientia? Quæ sit intentio & quis scopus Philosophiæ naturalis? Quomodo dividatur Philosophia naturalis? Qualis modus procedendi observandus? Qvale sit institutum Aristotelis libros Physicos edentis? Quid de inscriptione & divisione istorum librorum notandum? An quilibet artifex demonstret per quodlibet genus causæ? An ad rei perfectam cognitionem opus sit omnes ejus causas cognoscere? An universalia sint nobis notiora singularibus? An eadem sint nota nobis

nobis & naturâ? Hæc Toletus. Piccolomineus fusè agit de disciplinis in genere & specie, de ordine inter partes librorum Physicorum, de subjecto universæ naturalis scientiæ, de divisione & conditionibus subjecti, de subjecto librorum Physicorum Aristotelis, & de inscriptione librorum ejusdem. Ruvio trita legit vestigia, primumque de nomine & acceptionibus Philosophiæ, nec non de ejus inventoribus agit. Post quærit, an Philosophia naturalis sit vera scientia? an Philosophia naturalis sit scientia speculativa, an practica? an Philosophia sit unus habitus simplex & una scientia, vel multiplex secundum speciem? an objectum Philosophiæ naturalis sit ens mobile? Absolutis his porrò sollicitus est de ordine, quem habet Philosophia naturalis cum cæteris scientiis, de utilitate naturalis Philosophiæ, de generali ejusdem divisione, de octo librorum Aristotelis titulo, de modo procedendi, subjecto & distributione. His actis textum explicat, & iterum quæstiones format. An necesse sit ad perfectam rei notitiam omnes causas ejus cognoscere? An quælibet scientia demonstret suas conclusiones per omnia genera causarum? An magis universalia sint nobis notiora cognitione actuali confusâ? An eadem sint notiora nobis, & notiora naturæ, vel diversa? Hæc Ruvio. Pererius fusissimè agit de Philosophiæ Definitione ac Divisione, de scientiarum subordinatione, nobilitate, certitudine & primitate, de subjecto Physicæ, de differentia inter Medicum & Physicum; de causis, principiis, affectionibus & speciebus corporis naturalis, de præstantissimâ corporum naturalium specie; de partibus Physicæ, de quarto libro Meteorologico, de utilitate & jucunditate Physicæ, de inscriptione librorum Physicorum; de causis quas Physicus consideret, de causis quas Mathematicus consideret, de præstantissima demonstratione, an solùm reperiantur in libris Mathematicis: de cognitione causarum, an ad perfectam scientiam rerum naturalium omnes causas cognoscere necessarium sit, de eo, quod notius est secundum nos & quod notius est secundum naturam, quomodo & cur ab universalibus procedendum ad singularia, & quomodo hîc sumatur nomen universalis: de primo cognito, an sit species specialissima, an ens, an singulare?

Piccolomineus in Introd. ad sci. de Nat. cap. 2. sq. p. m. 6. sq. Ruvio in Comment. super 8. lib. Phys. Arist. q. 1. sq. p. 1. sq.

Pererius de Philos. lib. 1. 2. & 3.

B

II. Quid

II. Quid de re hac censendum?

Respond. Magna & spacioſa res eſt Phyſica, Totam mundi molem animo repræſentat. Tollenda ergò ſupervacua, ut tam multa, tam magna libero frui queant hoſpicio. Non ſuperfluis oneranda ac maceranda ingenia, ne diſcendo ſupervacua ignoremus neceſſaria. Certè non pauca & hic & alibi ſecuribus recidenda, cum ne guttula Phyſici laticis in iſtis obferatur vitilitigationibus. Ob unicam Ariſtotelis lineam tantam compilare faragineſem, nã dedecus immenſum. Brevia ſint Proœmia, ut alluciant mentem ac teneant dulcedine. At fugant hæc ac deterrent animum etiam patientiſſimum ac laborioſiſſimum. Se forte an utilia quædam, ad noſtrum tamen non pertinent forum. Non omnia ſimul tradenda, non pariter olla cepis, allio, milio, ac carne replenda. Logica, Metaphyſica, & Mathematica, quæ tractant, num ea Phyſici ſunt neceſſaris? Ut diſtinctio veri, ſic confuſio falſi marer. Et ſæpè in ſuam tranſtulère ſcientiam Phyſici hi, quæ & in aliis fuère ſupervacua. Ut forſan ſubtiles audiant, ſeqs ubiq; fuiſſe demonſtrent. Sed ſubtilitas nimia nunquam veri ſocia. Ingenium oſtentant, nimis ſubtiles qui ſe gerunt. Ac dum plus ſcire volunt, quàm ſatis eſt, id quod ſcire poterant, neſciunt. Neque ſubtilitas in confuſo habitat capite. Nullibi eſt, qui ubiqve eſt. Ut certa lectio prodeſt, ſic varia obeſt. Quàm miſerè etiam & ſe & alios aureo ſpoliant tempore? Salutare præceptum: Tempori parcendum. Tuam metire ætatem, & vix eam ad neceſſaria, nedum ad umbras fallaces ſufficere experieris. Et dum Naturæ audire volunt Interpretes, Ariſtotelis evadunt myſtæ. Ariſtotelem explicare ac defendere non peſſima res eſt. Si id fiat perſpicuè, ſi candidè, ſi cordatè. Obscura in Ariſtotele perſpicuâ & concinnâ verborum ſerie manifeſtare, laudem meretur. At hi manifeſta & plana inexplicabilibus obſcurare deſudant plicis ac tricis. Omiſſa in Ariſtotele complere debebant. Non forſan ſupponendo Tractat9 de hinnibilitate equi aut rugibilitate leonis. Sed labor iſtis unus, in dictatis ſe exercere & ingenij acumen oſtentare. Commiffa ab Ariſtotele corrigere, & emendanda emenda.

Zabar. lib.
de Conſt.
Nat. Sc. c.
42.
Perer. lib. 5,
c. 1. p. 277.

emendare illorum postulabant partes. Sed laudant, extollunt dicta, & non raro bene scripta, male intelligunt. Ac quod non postremum, ob intestina bella miserè Actæ onem dilaniant. Singuli enim in suam opinionem dum trahunt Dictatorem, nonne ipsam in singularum opinionum refutatione refutant?

III. An Physica necessaria sit Theologiæ Studio?

Respond. Physica sibi bona, sibi perfecta, sibi pulchra est. Nullius serva ac pedisequa nata fuit. Id n. scientiæ postulabat indoles ac nativa ratio. Scientia non Instrumentalis, sed Principalis habitus est. Non ergo servit, sed servas habet. Non famulatur, sed famulis ac pedisequis utitur. Famulæ illæ ac pedisequæ sunt, Grammatica, Rhetorica, Poëtica, Logica. Cum verò omne bonum sui diffusivum sit, Physica Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ Studiosis non utilis modò, sed necessaria prorsus est. Theologus absque cognitione Physicæ plurima Scripturæ dicta nunquam explicabit. Primum Geneseos legatur caput, & res patebit. De luce primogeniâ, de expanso, de aquis sub cælo & super cælos, de luminaribus in expansione cæli, de animalibus volatilibus, natatilibus, gressilibus ac reptilibus, de Homine mundi totius hero, de multiplicatione ac generatione, nec non de olere ac fructibus arboris, dextrè nemo judicabit, nisi quodam Physicæ imbutus liquor. Et quod in limine primo, id in libro quovis, in quavis pagellâ fermè videre licet. Quot enim de avibus, quot de piscibus, de quadrupedibus ac serpentibus, de arboribus, de plantis, de gemmis, & cæteris naturæ muneribus, cedro digna effata per universam sparsa sunt Scripturam? Quæ non fabulis anilibus, de Phœnice, de Pelecano, de Cygno, & aliis, sed veris rationibus & experimentis veniunt declaranda. Accedit, quod nullam habeas disciplinam, quæ inter DEI & naturæ effecta, inter miracula & opera naturalia, distingvere te doceat, præter Physicam. Hæc enim naturalia à non-naturalibus discernit exactè. Absq; hujus cognitione novisse agrè poteris, veranè fuerint

fuerint miracula à Mose coràm Pharaone edita, an apparentia? An aquarum acerbitas lignorum immiffione naturaliter, an fupernaturaliter fuerit sublata? An cætera, non Prophetarum faltem, fed & Apoftolorum, immò Chrifti Salvatoris noftri miracula juxta, an fupra, an contra naturam extiterint? Liberius dicam, quid fecunda S.S. Trinitatis persona in Incarnatione affumerit, nunquam fatis explicabit, qui Phyficam ignorabit. Phyfica enim eft, quæ quid humana fit natura, quas habeat facultates, quidvè facultatibus iftis per fe in fit, & quid per accidens, dictitat. Taceo ad Creatoris glorificationem & Adverfariorum refutationem, Phyficam conferre plurimum. In fummis ergò habeat deliciis hanc naturalem Scientiam, quicumque Sacrofanctæ fe mancipavit Theologiæ.

IV. An Phyfica neceffaria fit Jurisprudentiæ Studiofo?

Respond. JureConfultum, fi non major, certè non minor ad Phyficæ ftudium adigat neceffitas. Quot enim nobiliffimas reperire eft materias JureConfulto & Phyfico communes? Congeffit eas Paulus Zacchias Medicus Romanus, & libris aliquot Quæftiones Medico-Legales (aptius Phyfico-Legales fcripiffet) propofuit. E primo faltem libro quædam citabimus quæftita JureConfulto & Phyfico verè communia. Quæritur ibi, An impuberes judicio careant, indeque testamentum condere nequeant? An impuberes & ad coëundum & ad generandum apti effe poffint? An puberes integrum habeant rationis ufum, indeque condere queant testamentum? An foemina fupra quinquagefimum pariat? An vir fupra feptuagesimum generet mafculum? An partus feptimeftris fit legitimus? An partus octimeftris fit vitalis? An partus undecimeftris fit naturalis? An quinquemeftres & feximeftres fint legitimi? An partus quinque, fex, feptem, & plures, uno nafci queant enixu? An qui conceptum per abortum interimmit, hominem occidiffe dici debeat, & homicida fit? An lac in mammillis probet prægnantiam? An fanguinis menftrui apparen-

Paulo Zacchias lib.
Quæft.
Med. Leg.
Quæft. 5. f. q.

apparentia probet foemina gravidam non esse? An maculae in facie firmum praegnantiae signum sint? Ex quibus indiciis praesumi queat, molam potius, quam verum conceptum in utero gerere mulierem? An detur superfœtatio, seu nova praeter priorem conceptio? An ex uno eodemque congressu fieri queat superfœtatio? An molam gerens praegnans dici debeat, & praegnantis gaudere queat, privilegiis? An mola generetur absque virili semine? An mola in viviparis respondeat ovo in oviparis? An partus simpliciter occidere possit? An ex similitudine concludendum, filium ejus esse, cui similis est? Filius mulieris, quae ilico ab obitu conjugis alteri nupsit, & novem decemve mensium spacio peperit, cujusnam praesumi debeat? Has & innumeras alias Quaestiones JureConsultus cum Physico communes habet. Magna ergo Studiosum Juris ad studium Physicæ compellit necessitas.

V. An Physica necessaria sit Medicinæ Studioſo?

Respond. De Medico quid memorem? Extra certaminis aleam hoc ferme positum est. Unde brevissimas ducam lineas, ne longior sim in re concessa. Numerant vulgo Medicinæ partes quinque. φυσιολογικήν, παθολογικήν, σημειωτικήν, υγιεινήν & θεραπευτικήν. Physiologicam partem Physicam esse, vel ipsa nominis monstrat ratio. Res ipsa etiam aliud nil loquitur. De corpore humano, de sanitate, de temperamento, de calido innato, de spiritibus, ac similibus hic disquirunt. At disquisitio hæc verè ac merè Physica est. Pathologicam partim è Physica desumptam, partim in Physica fundatam esse, tota monstrat tractatio. Morbi enim explicat naturam, differentias, causas, ac symptomata. Quæ omnia Physicæ operâ monstrantur ac demonstrantur. Semiotica cum signa salubris & insalubris corporis, signa temperaturæ cerebri, cordis, pulmonum, epatis, aliarumque rerum profert, semper Physicam olet. Hygiene naturam aëris, terræ, montium, aquarum, veris, æstatis, autumnis, hyemis, alimentorum

ex plantis & animalibus, vini, cerevisiæ ac similibus, dum penderat, quid præter Physicam sapit? Therapeutica tandem ultima & propria Medicinæ pars, circa medicamenta cum primis est occupata. Sed de medicamentorum facultatibus absq; corporum naturalium scientia judicare, est cæcum de coloribus disputantem repræsentare. Adeo gratissimam de se reliquit famam in universa Literaturâ jucundissima nostra Physica!

IV. An contentiones Physicorum à Physicæ studio deterrere debeant quemquam?

Respond. Opinionum Physicarum ingens est varietas. Adeo ut ingeniosissimos etiam, si non terreat, turbet tamen. Scripserunt ante Aristotelem Plato, Empedocles, Pythagoras, Democritus, Leucippus, & infiniti alij. Displicere omnes. Hic deliravit: ille insanivit; alius dormitavit. Sed neque Aristoteli assensere cuncti. Galenus acerrimi judicij Vir, Aristoteli quoties scripsit dicam? Verum Galenus etiam suos passus est manes. Ramos Philosophiæ apprehendit Galenus, sed radices ipsas ignoravit, dicere solitus est Avicenna. Non bonus Metaphysicus fuit Galenus, scripsit Scaliger: *fortasse verò nec bonus, nec non bonus, nec quicquam, illius Sipientia: quæ propter rerum nobilitatem, cognitionis difficultatem à paucis recepta, apud multos calumnie propior est.* Sed neque Avicennæ, neque Scaligero desunt Magistri. Ita lis litem semper genuit, & ne hoc quidem temporis puncto cessant jurgia. Hesternæ dies quæ affirmavit, hodiernæ plerumq; negat. Ut litium conciliatriculam haud immerito salutes Physicam. Quæ diversa diversorum judicija non humiles & plebeias animas, sed pectora fortissima & ingenia terribilissima movere, immò & deterrere queant. Ast vincat amor veri, vincat necessitas, vincat nobilitas ac jucunditas. Si quæ patimur, communia patimur. Quanta litigia inter Grammaticos? *Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.* Logici & Metaphysici nonne maximè discordes sunt? Annon partes dissecti in contrarias Medici? Et Theologia

quid

Scaliger
Exerc. 289.
p. m. 816.

quid sublimius? Nunquam verecundiores, nunquam compositiores esse debemus, quam cum de DEO divinisque mysterijs cogitamus. Et tamen tot hinc cernimus sectas, quot Physicos inspectavimus nunquam. Communis ergo hæc fors est, tot esse sententias, quot capita. Neque mirum ad tantam nondum venisse perfectionem Physicam, ut omnibus superatis dubiis & explosis falsis, sola triumphet veritas. Divina res est sapientia, quam mortale peccatus non capit omnino. Et dividit munera sua Natura, nec unquam uni simul ac semel confert omnia. Neque etiam labor hominum tantus intus, quantum apparet extus. *Quis Philosophiam, aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet. Itaque adeo nihil invenitur ex his, quæ parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa quæ inventa erant obliterentur. At me hercules, si hoc totis membris premeremus, si in hoc juvenus incumberet sobria, hoc majores docerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur: in quo veritas posita est, quam nunc in summâ terrâ & levi manu quaerimus.* Et si quidam aureo de seculo nati supersunt, istos occupationes publicæ, occupationes privatæ, occupationes domesticæ premunt ac opprimunt ferme. Interim juvenes non deterreat labor qualis quantumcunque. Non piguit quondam Græcos ad Ægyptios, ad Chaldæos, & ad Indos etiam sapientiæ amore, non absque summis laboribus, periculis, ac sumptibus peregrinari. Et ita peregrinari, ut verius exilia quam peregrinationes fuerint perpassi. Re tamen hinc inde agitata vix spumam & scorias pro auro reportarunt. Cogitemus, quam felicior longè nostra sit conditio, si rebus presentibus utamur rectè.

Seneca Nat.
Quæst. lib. 7
cap. 31. p. m.
296.

V. Quænam Physicæ sint causæ?

Respond. Causarum genera in universum sunt quatuor. Materia, Forma, Efficiens, Finis. Materia aut est ex quâ, aut in quâ, aut circa quam. Materia ex quâ caret Physica. Accidens enim est: at illa substantiarum, & quidem corporearum est. Materia in quâ intellectus est. Hunc enim intrat, hunc perficit. Materia
circa

circa quam, ipsum subjectum nimirum corpus naturale, quatenus tale, est. Quemadmodum v. nullam materiam ex qua, sic etiam nullam formam habet. Nam & hæc ad sola corpora pertinet. Ipsæ formæ sunt accidentia, formas non habent. Efficiens causa vel est Prima, vel Secunda. Prima DEUS est, qui non tantum res naturales condidit, sed & homini sciendi desideria indidit. Secunda homines sunt, qui admiratione, inductione, & experientia, hunc peperere partum. Hos inter ante Aristotelem Ocellus, Hippocrates, Democritus, alijque complures, extiterunt. Ocelli dogmata potissima hæc sunt.

Ocellus
Lucanus
lib. de Uni-
vers. Nat.

p. 15.

p. 12.

Mundus est perfecta & absoluta naturarum omnium collectio.

Universum nec interituum unquam est, nec ullum aliquando habuit ortum, cum fuerit semper, futurumque sit.

p. 22.

Universi enim figura, motus, tempus, & substantia, cum hujusmodi sint, ut principium non habeant, nec finem, nobis fidem faciunt, quæ ratione mundus nec genitus, nec interiturus sit.

p. 23. & 24

Mundi pars alia impatibilis ac immobilis est, tam quæ est supra Lunam, quam quæ ad ipsam pertinet; alia infra tandem contentioni & naturæ assignata.

p. 23.

Generatio est, in qua res ipsæ mutantur, & quod sunt esse desinunt.

p. 23.

Generationis causa efficiendi & movendi, generatio ipsa accipiendi & patiendi vim habet.

p. 24. sq.

Tria in generatione ponenda sunt. Primum subjectum, quod in se recipit omnia, in quo ante generationem omnia sunt potestate, post generationem omnia perfectione. Secundum contrarietates, ut mutationes & alterationes compleantur. Tertium, essentia, quarum sunt facultates.

p. 18.

Interitus vocatur in deterius mutatio, dicitur quoque omnium perfecta consummatio.

l. d.

Ut ex nihilo nihil efficitur, ita nec quod est, in nihilum interit.

p. 19.

Res perit aut ob externam, aut ob internam causam.

p. 30. & 31.

Elementa sunt quatuor, ignis, aer, aqua, & terra. Ignis & terra extrema sunt elementa, aqua & aer media.

Ignis

Ignis calidus & siccus, aër calidus & humidus, aqua humida & frigida, terra frigida & sicca esse sentiuntur.

p. 31.

Ob has potentias elementa variè inter se transmutantur, ortusq; eorum vicissitudines effici solent, ut ex terrâ ignis, ex igne aer, ex aere aqua, ex aqua terra oriatur. At corpus, quod hic subicitur, & mutationes recipit, omnium rerum capax est, & potestate primum contractabile.

p. 32. sq.

Ignis si in unum cogatur & densescat aërem, aëer aquam, aqua terram producit, à terrâ vicissim idem usq; ad ignem à quo ceperat mutatio, circuitus agitur.

Terræ partes vi mutantur & incereunt, tota tamen nunquam interit, nec post ullo tempore interitura est.

p. 42.

Quatuor facultatum, caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis, due sunt ut causæ & efficientes, due ut materiae & patibiles. Illæ, calor & frigus; hæ, siccitas & humor.

p. 28.

Differentiæ due hic sunt, aliæ primæ, aliæ ex primis ortæ. Primæ, calor & frigus, humor & siccitas. Ex primis ortæ, gravitas & levitas, raritas & densitas, levitas & asperitas, durities & mollities, tenuitas & crassitudo, acumen & obtusitas.

p. 29.

Et has omnes tactus sensus cognoscit & judicat.

l. d.

Calor, siccitas, raritas, & acumen, propriæ ignis sunt facultates: aqua verò frigus, humor, densitas, & obtusitas: aëris mollitudo, levitas, levor, & tenuitas: terræ durities, asperitas, gravitas, & crassitudo.

Cum fieri non possit, ut homo ipse qui mortalis natus est, divinitatis efficiatur particeps, si generis immortalitas absumatur, in singulis supplevit DEUS, & generationem hanc infinitam reddidit. Hoc unum igitur spectare imprimis oportet, non esse concumbendum voluptatis causâ.

p. 43.

Qui prorsus causâ procreationis liberorum non cojerint, ij nobilissimos communionis cætus injuriâ afficient & violabunt. Quod si tales fuerint, ut nec legitimè nec temperanter generent, qui orientur filij, sceleresti, improbi, & miseri Dijs, Dæmonibus, hominibus, nec non familijs & civitatibus execrandi & detestabiles futuri sunt.

p. 44.

C

Peccant

Pecant complures, qui in matrimonijs contrahendis, non fortuna magnitudinem, neq; publicam utilitatem sibi proponunt, sed divitiarum aut generis præstantiam tantum respiciunt. Pro eo enim quod adolescentes & integrâ etate ducere deberent, vetulas sibi ipsis adjungunt, atq; cum uxores ejusdem secum mentis, & sui simillimæ ducende essent, nobilitate præstantes & divitijs affluentes ducunt. Quapropter pro concordia discordiam, pro legitimo consensu dissensionem sibi parant, siquidem maritus & uxor inter se de principatu contendunt. Quæ enim mulier divitijs, genere, & amicis antecellit, ut sibi pareat vir contra naturæ leges exoptat: at ille tametsi justè repugnet, quippè qui sibi primas, non secundas deferri velit, obtinere tamen principatum nullo modo potest.

Hæc & plura ejusmodi Ocellus, quem & Plato Virum eminentissimum vocat. Ad Hippocratis dogmata Physica accedendum. At id nec brevitatis permittit studium, nec necessitatis urget telum. In omnium manibus Hippocrates est. Volvatur hic, & Medicorum Principem Physicæ ignarum nec fuisse, nec esse potuisse patebit. Legatur Timæus, Liber de Natura hominis, Libri tres de ratione victus, Liber de Natura pueri, ac Liber de aëre, locis & aquis, summumque virum non in Praxi saltem, sed & in Theoria excelluisse, constabit. De Democrito quid memorem? Summum hujus ingenium, summos naturam inquirendi labores, ac doctissimos de Mundi Ornatu Commentarios egregiè commendat Hippocrates. Idem Ælianus, Diogenes Laertius, Clemens Alexandrinus, Aristoteles, Plinius, & alij factitant. Quæ Medicus nostri temporis facilè princeps D. Daniel Sennertus, p. m. fideli industriâ congeffit. Verba Viri adjungam. Democritus, inquit, Hippocratis σύγγραμμα, ut non solum ex Epistolis Hippocratis, sed & Diogene Laertio, & Plinio, lib. 30. cap. 1. patet, Philosophiæ studiosissimus fuit, & non modò Anaxagoræ, quo ætate minor 40. annis fertur, sed & Philosophorum peregrinorum sententias diligenter perpendit, & sapientiæ conquirendæ gratiâ multis annis peregrinas regiones, Chaldaeam, Indiam, Persiam, Æthiopiam, Ægyptum peragravit, & magos ac sapientes illorum locorum audivit & consi-

D. Sennert.
in Hypon.
3. czp. 1. p.
37.

consuluit, ut ex *Æliano*, lib. 4. var. histor. cap. 20. *Diogene Laertio*,
 in ejus vita, *Clem. Alexandrino*, lib. 1. Strom. & *Eusebio*, de prepara-
 rat. Evangel. lib. 10. cap. 2. *Plinio*, lib. 30. cap. 1. videre est. Et vita
 satis longo spatio (obiit enim annum 109. agens) ad rationis & experi-
 entie trutinam omnia diligenter examinavit, & ita in Philosophia ex-
 celluit, ut vulgò πένταθλῶς, quasi quinqvertio victor, id est, qui in
 Naturalibus, Moralibus, Mathematicis, & reliquis disciplinis scientiâ
 emineret, appellatus ab Hippocrate, in Epistola ad Damagetum,
 αὐδραῖν σοφώτατος, hominum sapientissimus, ἀνὴρ σοφώτατος,
 vir sapientissimus, & in Epistola ad Democritum, ἀριστος φύσεως καὶ
 νόσμου ἰεμνηστὴς præstantissimus Naturæ & Mundi Interpres no-
 minatus, & ab ipso Aristotele, 1. de generat. & corrupt. cap. 2. text. 5.
 omnibus præcæ Philosophis in scientia naturali prælatus fuerit. A sena-
 tu verò populog. Abderitano tanto in præcio habitus, ut, in Epistola ad
 Hippocratem, scribat, se metuere, si Democritus malè valeat, urbs
 Abderitana penitus pro desertâ habeatur, & in eadem Epistola σώμα
 σοφίας corpus sapientie, nominetur. Imò ab iisdem Philosophia di-
 ctus sit, ut refert *Ælianus*, allegato loco. Ac vel hoc ejus insigne in co-
 gnoscenda Physica studium arguit, quod *Plinius*, lib. 14. cap. 2. scribit:
 Cum vitium innumera atq; infinita penè sint genera, & totidem penè,
 quod sunt agri, eorum tamen genera numero comprehendendi posse, unus
 existimârit Democritus, cuncta sibi Græciæ cognita professus. Non er-
 go credibile est, virum σοφώτατον, ut appellatur ab Hippocrate, &
 tam sagacem, ac vitæ utilissimum, ut à *Plinio*, lib. 28. cap. 8. nomina-
 tur, tam absurdas, ut hodiè ipsi attribuuntur, opiniones fovisse; nec ve-
 rò consentaneum est, ut verbis *Pererij*, lib. 4. Phys. cap. 4. utar, virum
 cordatum & sapientem, ac multifariè laudatum ab Aristotele, res tam
 perspicuè falsas & absurdas, nec occultè modò rationi, sed & apertè ipsis
 sensibus adversas credidisse & enunciaasse.

FInis denique Physicæ vel Remotus, vel Proximus est. Ille, glo-
 ria DEI. Cuncta bonum quæerunt, undè prodierunt. Hic, ve-
 ritas in pulcherrimo mundi theatro latitans. Hæc
 meta laborum.



Ad Doctissimum

DN. RESPONDENTEM.

S*t labor immensus Physices decurrere campum :
Non primam satis est quærare materiam.
Abdita nature, vires causasq; notare,
Hoc opus est : Merito id sedulus aggredieris.
Perge, opus insigne est. Nature conditor almus
Pro studijs magnis præmia magna dabit.*

Ex animo applaudit

*Johannes Scharsius, Theol. Lic.
& Prof. P. nec non p. t. Colleg.
Philosoph. Decanus.*



D*um mundi superas, medias, imasq; revolvis
Partes, ne partes suscipis egregias.
Quàm merito præclara agitât spectacula theatri
Mundani mundi portio splendidior!
Gratulor ex animo. Expectant te læta brabæa.
Pensabis factis præmia digna tuis.*

M. Johan. Sperling/ P. P.



94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3




71 DA 17
Juni 1899

71







B.I.G.

Farbkarte #13



PHYSICA *45a*

Æ NA-

NSTITU-

E O;

O

CELLENTISSIMI,

IS Sperlingen /

SORIS PUBL.

ERRIMI,

romotoris sui,

vantia

it,

DRESDENSIS.

ruarij

r.

GÆ,

AKE, M DC XLII.

L. M. G.

Amicorum

